

audire cuperent, quid noui fieret & diceretur a *Paulo*; verum iis doctrinis, de quibus postea est locutus, nolabant assentiri. Post sermonem enim finitum quidam doctrinam eius irriferunt v. 32. quippe quae vel captum eorum transcendebat, vel cum opinionibus ex Philosophia praeconceptis consistere non poterat.

### §. III.

Sermo autem, quem habebat *Paulus*, non erat defensorius coramiudicibus, licet locus alias esset, ob summum iudicium *Atheniensium* haberi solebat. Nam non iudicium proprie, sed locus *Areopagus* vocari solebat, quod ex *Pausania in Atticis* c. 28. constat: ἐστὶ δὲ Ἀρειος πάγος καλούμενον, ὅτι πρῶτος Ἀρεῆς ἐνταῦθα ἐκρίθη: *haec urbis pars Areopagus dicitur, quia primus Mars ibi capitis causam dixerit.* Licet autem hic esset locus iudicii, non tamen sequitur quod ad iudicium illi conuenissent, quod neque locutiones ἐπιλαβόμενοι ἤγαγον v. 19. atque σταθεὶς v. 22. probant. Vtraquae enim de alia abductione & constitutione adhiberi solet. Quod ad ἐπιλαμβάνειν attinet, generatim significat *sumere, apprehendere*; speciatim vero *manu prebendere*, quod patet ex *Matth.* 14. 13. *Marc.* 8, 23. *Luc.* 9, 47. c. 14, 4. *Act.* 23, 19. cum quibus conferri potest *Ebr.* 8, 9. Verbum ἀγειν abductionem quamlibet inuit a loco quolibet ad alium, quod ex *Luc.* 4, 40. c. 19, 35. clare perspicui potest. Hic ex comparatione notionis horum verborum cum toto sermone elucescit, quod *Paulum* non ideo apprehenserint, vt ad iudicium ducerent, sed magis apparet, hanc fuisse rationem, vt scirent, qualis sit noua illa doctrina, quam ipse doceret. Σταθῆναι significat *stare*, & est vox generalior de quolibet publice loquente

te